

## No. 906. 1422. 16. Oct.

*P. Martin V. beauftragt den Propst des Thomasklosters zu Leipzig, die Klage des Bischofs von Meissen gegen Abt Vincentius von Altzella über Beeinträchtigung des althergebrachten Rechts seiner Kirche, das zur baulichen Unterhaltung des Schlosses Nossen erforderliche Holz im Altzeller Walde zu schlagen, zu untersuchen und zu entscheiden.*

Martinus episcopus servus servorum dei dilecto filio . . praeposito monasterii sancti Thomae in Lipczk per praepositum soliti gubernari Merseburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis venerabilis frater noster Rudolphus episcopus Misnensis, quod licet de antiqua et approbata ac hactenus publice observata consuetudine praedecessores sui episcopi Misnenses qui fuerint pro tempore pro usu et aedificatione castrum Nussen vulgariter nuncupati ad ecclesiam Misnensem spectantis et aliis in eodem castro de lignis fieri necessariis de nemore monasterii Antiquae Cellae prope dictum castrum consistente libertatem ligna incidendi et colligendi habuerunt, tamen Vincencius abbas et conventus monasterii in Antiquacella Cisterciensis ordinis dictae diocesis eundem episcopum, quominus huiusmodi ligna colligi facere ac eis uti ut praefertur valeat, contra iustitiam impedire praesumunt. Ideoque discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem etc. — Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem XVII. Kal. Novembris pontificatus nostri anno quinto.

Registrata gratis.  
Jo. Jacozi.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das Siegel ist abhanden gekommen.

## No. 907. 1422. 23. Dec.

*P. Martin V. verleiht dem Markgrafen Friedrich dem Streitbaren dessen Antrag gemäss und in Anerkennung seiner Treue gegen die Kirche und opferwilligen Beharrlichkeit in Bekämpfung der Husiten zu dem ihm theils als Patron theils durch päbstl. Privilegium bereits zustehenden Präsentationsrecht für fünf Stellen im Capitel noch ein weiteres Recht zu Besetzung dreier mit Präbenden versehener Domherrenstellen. Vgl. No. 752.*

Martinus episcopus — dilecto filio nobili viro Friderico seniori marchioni Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia, cui auctore domino licet insufficientibus meritis praesidemus, catholicos principes, prout rerum et temporum qualitas exigit, favoribus libenter prosequitur gratiosis, illos praesertim, qui procellosis temporibus ac vesana et rabida haereticorum pertumescence perfidia non solum in fidei sinceritate catholicae et illibata devotione ipsius ecclesiae immobiles persistunt, verum etiam tanquam fidei et ecclesiae praedictarum zelatores praecipui constantesque et fervidi pugiles et athletae se adversus eorundem haereticorum furores et insanias